



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum intimidum esse opponatur fortitudini? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

aliud ab homine mortali potest inferri, non est ea ratione timendum, ut a iustitia recedatur. Est tamen timendum, in quantum per hoc homo potest impediri ab operibus virtuosis, vel quantum ad se, vel quantum ad profectum quem in alijs facit. Vnde dicitur Prouerb. 14. Sapiens timet & declinat a malo.

Ad tertium dicendum, quod bona temporalia debent contemni, in quantum nos impediunt ab amore & timore Dei: & secundum hoc etiam non debent timeri. Vnde dicitur Ecclesiast. 34. Qui timet Dominum, nihil trepidabit. Non autem debent contemni bona temporalia, in quantum instrumenta liter nos iuuant ad ea quæ sunt diuini timoris & amoris.

ARTIC. II.

*Utrum esse impavidum opponatur fortitudini?*

639  
2 d 26 q.  
2. a. 2 ad  
4. Et dif.  
34 q. 1. a.  
2 cor. col.  
2 fin. Et  
d 4 q. 2  
a. 1. ad 4.

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod esse impavidum non opponatur fortitudini. De habitibus enim iudicamus per actus. Sed nullus actus fortitudinis impeditur per hoc, quod aliquis est impavidus. Remoto enim timore, aliquis & fortiter sustinet, & audacter aggreditur. Ergo esse impavidum non opponitur fortitudini.

¶ 2 Preterea, esse impavidum est vitiosum, vel propter defectum debiti amoris, vel propter superbiam, vel propter stultitiam. Sed defectus debiti amoris opponitur charitati, superbia autem humilitati, stulticia autem prudentia siue sapientia. Ergo vitium impaviditatis non opponitur fortitudini.

¶ 3 Preterea, virtuti opponuntur vitia, sicut extrema medio. Sed vnum medium ex vna parte non habet nisi vnum extremum. Cum ergo fortitudini ex vna parte opponatur timor, ex alia verò parte opponatur ei audacia, videtur, quod impaviditas ei non opponatur.

li. 2. c. 7.  
10m. 5.

**S**ED contra est, quod Philosophus \* in tertio Ethic.

Eth  
sita  
R  
dic  
Om  
in m  
per  
lic  
& f  
rum  
Vnd  
fum  
non  
etia  
ris,  
ter  
Ac  
dinis  
liter  
cit i  
Ac  
speci  
oppo  
proh  
Ac  
poni  
pau  
tudo  
non  
diuc  
  
D  
¶ P  
¶ S

Ethicorum ponit impaviditatem fortitudini oppo-  
sitam.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra  
dictum est \*, fortitudo est circa timores & audacias. q. 123. a.  
Omnis autem virtus moralis ponit modum rationis 3.  
in materia circa quam est. Vnde ad fortitudinem  
pertinet timor moderatus secundum rationem, ut sci-  
licet homo timeat quod oportet, & quando oportet;  
& similiter de alijs. Hic autem modus rationis cor-  
rumpi potest sicut per excessum, ita & per defectum.  
Vnde sicut timiditas opponitur fortitudini per exces-  
sum timoris, in quantum scilicet homo timet quod  
non oportet, vel secundum quod non oportet: ita  
etiam impaviditas opponitur ei per defectum timo-  
ris, in quantum scilicet aliquis non timet quod oportet  
timere.

Ad primum ergo dicendum, quòd actus fortitu-  
dinis est timorem sustinere & aggredi, & non qua-  
liscumque, sed secundum rationem: quod non fa-  
cit impavidus.

Ad secundum dicendum, quòd impaviditas ex sua  
specie corrumpit medium fortitudinis: & idè directe  
opponitur fortitudini. Sed secundum suas causas nihil  
prohibet quin opponatur alijs virtutibus.

Ad tertium dicendum, quòd vitium audaciæ op-  
ponitur fortitudini secundum excessum audaciæ, im-  
paviditas autem secundum defectum timoris. Forti-  
tudo autem in vtraque passione medium ponit. Vnde  
non est inconueniens, quòd secundum diuersa, habeat  
diuersa extrema.

QVÆST. CXXVII.

*De Audacia, in duos articulos diuisa.*

¶ Einde considerandum est de audacia.

**D** ¶ Et circa hoc queruntur duo.

¶ Primo, vtrum audacia sit peccatum?

¶ Secundo, vtrum opponatur fortitudini?